



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 102. Plurium Oratorum consursus ad Mantuana comitia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Imperatoris fratribus; hic, cum alterum fratrem suum Demetrium potissima ditio-  
 num suarum parte exuisset, Turcasque in fugam egisset, jam suppetias a summo Pontifice efflagitat, fidemque facit, quod ad Turcas Isthmo propellendos trecentorum militum manus sufficeret. An-  
 nuit Papa eo facilius Legatorum votis, quo moderatius petebant auxilium. Igitur Legati unacum trecentis peditibus a Papa missis iter aggrediuntur, & primo impetu Patracensem urbem occupant, sed & ipsi inter se dissidentes, quantocius dispersi fuere; quod infestum sane rebus gerendis omen erat, Demetrius etiam Spartam fugiens, Mahometis imperio sese subicere, eique licet summe invitus Filiam suam in uxorem tradere coactus est: Thomas vero Demetrii frater pariter omnibus suis bonis spoliatus primum in Corsicam Insulam (\*) confugit, inde autem ad Pium Papam contendit.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1459.

Gobelin.  
 Pers. Comm.  
 Pii II. lib. 2.

Chalcond.  
 hist. Turcar.  
 lib. 9.

Phranz.  
 lib. 3. c. 22.

§. CII.

*Plurium Oratorum Concurfus  
 ad Mantuana Comitia.*

Interea Mantuani Conventus auctoritas  
 confluentium Legatorum frequentia  
 indies

(\*) Alii Auctores testantur, Thomam Corcyram petiisse.

Sæcul. XV. in dies nova cepit incrementa. Advenerant Oratores non solum ex Insulis Cypro, Rhodo, & Lesbo, sed etiam ex Albania, Epiro, Bosnia, necnon ex omnibus Illyriæ finibus. Efflagitabant cuncti valida adversus Turcas auxilia. Ast soli erant Ragusii, qui cunctis hisce populis pro virium suarum ratione suppetias pollicebantur. Equidem Rex Bohemiæ (\*), quamvis clam Mahometi reconciliatus esset, suos tamen Legatos Mantuam decrevit: Verum paulo ante ad Matthiam Hungariæ Regem profectus, speciosa promissorum amplitudine eundem induxit, ut ipsi auxilia contra Turcas submitteret, patereturque, ut Filius ejus Synderoviam, quod est oppidum ad ripam Danubii munitissimum defendendum susciperet; quo facto Rex paucis post mensibus magno auri pondere urbem Mahometi vendidit. Ea res magis, quam antea Constantinopolitanæ urbis jactura Hungarorum animos fregit, eoquod Synderovia esset velut porta quædam, unde ex Rascia in Valachiam transiri, & bellum Infidelibus sat opportune inferri posset.

*Leunclav.  
lib. 15.*

§. CIII.

---

(\*) Legendum putamus: *Rex Bosnia*, consule Spondanum, num. XI. quem Continuator hic satis fideliter descripsit.